

quia non debet unus interrogari pro alio de facto proprio; cum quilibet certus esse debeat de facto suo, c. *Ab excommunicato*. 41. *de Rescript.* illudque melius nosse censeatur præ quocumque alio. Accedit textus expressus in c. *Pastoralis*. 14. *de Judiciis*; estque jam dictum supra eod. tit. I. *de Judiciis*, § 8, n. 219 et seq. hi videatur.

TITULUS XIX.

De Probationibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Postquam actum est titulo præcedenti de *Confessionibus*, per quas adversarius relevatur ab onere probandi, sequitur nunc de *Probationibus*, utpote quibus opus est, si reus ultro non confiteatur: alioquin quippe locum habebit vulgata regula: « Actore non probante reus absolvitur. » Præmittitur autem præsens titulus de *Probationibus in genere*, ut postea in progressu per sequentes titulos distinctius agi possit de *Probationibus in specie*: unde majoris claritatis gratia sit

§ I.

DE NATURA, DIVISIONE, SPECIEBUS ET GRADIBUS PROBATIONUM.

2. *Probatio ut sic, quid?* — Queritur I. Quid sit probatio? Resp. I. Probatio ut sic est rei dubiæ, seu controversæ, per legitima argumenta facta ostensio. Ita post Azonem, et Accursium in rubric. C. *de Probat.* Hostiensis in *Summa*. h. t. num. 1; Abbas ad rubric. h. t. n. 1; Mascardus de *Probationibus*, vol. I, quæst. 2. præmial. n. 8; Pirhing h. t. n. 4 et alii: quamvis non pauci post Goffredum in *Summa*, datam probationis definitionem, veluti insufficientem, et non convenientem probationibus per testes, ac instrumenta, inficiare conati fuerint. Ratio est, quia data definitio recte explicat naturam probationis ut sic per genus et differentiam, quin et conditiones ad eam requisitas sufficienter declarat; ac proin merito est retinenda.

3. *Omnis definitio in jure est periculosa, et quomodo?* — Nec urget id, quod habetur I. *Omnis definitio*. ff. *de Reg. jur.* illis verbis: « Omnis definitio in jure civili periculosa est.

Rarum est enim, quod perverti non potest. » Resp. enim cum Glossa un. ibid. per definitionem in citata lege non intelligi definitionem dialecticam, seu talem, quæ est brevis, et propria substantiæ rei per genus et differentiam enuntiatio: sed definitionis nomine ibidem intelligi plurium rerum breviter, seu summam, sub certa regula factam traditionem. Hujusmodi quippe definitiones sunt periculose, quia patiuntur complures exceptione, seu fallentias.

4. *Argumentum stricte, et large acceptum, quid?* — Neque ulterius, re penitus inspecta, urget ratio Goffredi, datam definitionem impugnantis, ex eo; quod non conveniat probationi per testes et instrumenta. Quia, inquit, « argumentum dictum est, quasi argute inventum, » juxta c. *Forus*. 40. *de Verb. signif.* quale dictum, « quasi argute inventum, » non confinet probatio per testes et instrumenta. Resp. enim cum Hostiensi, Abbate, ut supra, et aliis, in cit. c. *Forus*. accipi ly « argumentum » stricte, ac proprie; prout sumitur in dialectica, et etiam in jure; quando disputatur, vel allegatur. Secus contingit in data definitione, seu descriptione, ubi argumentum largo modo sumitur, pro omni videlicet specie probationis: hoc est, pro omni ratione, ac medio rem dubiam probandi; prout etiam sumitur in I. *Testium*. § *Ejusdem quoque* ff. *de Testib.* ibi: « Quæ argumenta ad quem modum probandæ quæque rei sufficiant, nullo certo modo definiri potest. »

5. *Probationis judicialis definitio.* — Quod si quis nihilominus aliam probationis, præsertim judicialis, desideret definitionem, dicat cum Mascardo, ubi supra, n. 7; Vallensi h. t. § 1; Sannig eod. cap. 1, et aliis taliter. Probatio est ostensio rei dubiæ per legitimos modos judici faciendæ in causis apud ipsum controversis: ubi ly « Ostensio » rationem generis, reliqua vera obtinent rationem differentiæ.

6. *Versatur circa facta, et quidem incerta.* — Dicitur imprimis, « Ostensio. » Nam probatio ea potissimum de causa sic appellata fuit, quia est quædam quasi propositio, atque manifestatio ejus, quod erat dubium; ut inquit Joan. Andreas, ad rubric. h. t. n. 3. et Abbas ibid. n. 2. Solum adde, quod probatio versetur circa facta, et quidem incerta; prout indicat ipsum ly « Ostensio: » nam quæ juris sunt, per se nota existunt (etenim jura habentur certa) ac proinde neutquam veniunt probanda: nisi forte juris esse negen-

tur, quomodo consuetudo dicitur probanda, cap. I. *de Constitut.* in 6; Abbas, loc. cit. n. 2; Zoesius h. t. n. 2. et alii.

7. *Probationes differunt ab allegationibus juris.* Unde probationes differunt ab allegationibus juris, quæ non raro fieri consueverunt; non quidem ad probandum (unde nec sunt de processu) sed tantummodo, ut iudex instruat. Mascardus cit. quæst. 2, n. 18 et 19. et quæst. 17, n. 50; Maranta, part. VI *Speculi aurei*, tit. *de Actorum editione*, actu 40, n. 58. et alii.

8. *Data probationis definitio ulterius declaratur.* — Dicitur secundo, « rei dubiæ. » Nam quæ sunt certa, et notoria, probatione non indigent, c. *Super eo*. 3. *de Testib. cogend.* Sicut nec illa, quæ pars adversa ultro concedit: nam propria confessio, est optima probatio; et si fiat in judicio, inducit notorium, can. ult. *de Cohabitat. cleric.* Et additur, « per legitimos modos: » hoc est, a legibus approbato, de quibus in progressu. Dicitur ulterius, « Judici faciendæ, » etc., ad indicandum, quod impræsentiarum sermo sit de probatione judiciali: nam altera superius allata definitio convenit probationi ut sic, et prout est genus ad judicialem et extrajudicialem.

9. *Probatio varie dividitur. Alia est judicialis, et alia extrajudicialis.* — Queritur II. Quotuplex sit probatio? Resp. I. Generatim loquendo, probatio alia est judicialis, alia extrajudicialis. « Probatio judicialis » dicitur, quæ fit in judicio. Et istud potest intelligi conformiter dictis de confessione judiciali, tit. præc. n. 4 et seqq. Quanquam Vallensis h. t. § 2, n. 5; Pirhing eod. n. 4 et alii, soleant addere ly « post litem contestatam: » quod recte dicitur in ordine ad iudicium ordinarium (utpote proprie incipiens a litem contestatione) et causas plenam discussionem requirentes. « Probatio extrajudicialis » vicissim censetur ea, quæ fit extra iudicium: ut sunt probationes, quæ solent adhiberi inter homines privatos in contractibus civilibus: item illæ, quæ ante omnem litem motam recipiuntur ad perpetuam rei memoriam, c. *Cum dilecta*. 4. *de Confirmat. utili, etc.*, aut ne copia probationum fortuitis casibus subtrahatur, cap. ult. § 1. *Ut lite non contestata*, etc.

10. *Artificialis, et inartificialis.* — Deinde utraque hæc probatio subdividitur in artificialem, et inartificialem. « Probatio artificialis » dicitur, quæ arte et industria probantis ex

ipsa causa, ejusque circumstantiis desumitur. « Probatio inartificialis » vero, quæ extrinsecus, seu extra causam assumitur; puta a testibus, instrumentis, juramento, confessione, etc.

11. *Probatio plena, quæ?* — Resp. II. Probatio ulterius dividitur in plenam et semiplenam. Ita communis. Et quidem « probatio plena » dicitur illa, quæ tantam fidem facit, quanta ad definiendas controversias sufficit. Spiegelius in *Lexico juris*. §. *Probatio plena*; Mascardus de *Probationib.* quæst. 4, n. 15. Atque hanc nonnulli dividunt in probationem evidentissimam, claram, et minus evidentem; seu in plenam, plenioram, et plenissimam, prout loquitur eard. Tuschus, litt. P. concl. 789. Ex quibus

12. *Probatio evidentissima, seu apertissima, quæ?* — Probatio evidentissima censetur illa, quæ fit per privilegia, et instrumenta indubitata; ut inquit Abbas in c. *Licet*. n. 12. h. t.; Jason I. *Si constante*. n. 135. ff. *Solutio matrimon.* et Mascardus cit. q. 4, n. 5. Huc accedunt « Probationes apertissimæ, » prout appellantur in c. *Pia de Exceptionib.* in 6 et I. *Sciatis*. C. *de Probatio*. ibi: « Apertissimis documentis. » Quales probationes apertissimæ, seu (ut alii loquuntur) plenissimæ, atque luce clariores, habentur per facti evidentiam, et aliis modis indubitatis, atque requiruntur in causis criminalibus, cit. I. *Sciatis*. Nam sæpe aliqua probatio in causis civilibus sufficiens est ad ferendam sententiam, quæ non sufficeret in criminalibus, præsertim capitalibus: quia, ut I. *Absentem*. ff. *de Pœnis*, dicitur: « Satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari. » Engel h. t. n. 8. et alii.

13. *Probatio clara, quæ?* — Probatio clara est, quæ fit per testes, ac hujusmodi. Probatio minus evidens vero, quæ fit per conjecturas, et præsumptiones; ut c. *Afferte*. *de Præsumption.* cum similibus. qualis alio nomine dicitur *Probatio præsumptiva*. Etsi enim Mascardus cit. quæst. 4, n. 13. post Romanum in l. I. c. *de Testament. milit.*, et alios, asserat, probationem per præsumptiones et conjecturas non dici veram et propriam probationem, nisi esset præsumptio juris: nihilominus idem recte apposuit ly « Nisi esset præsumptio juris. » Nam quod probatio illa dicatur vera, clara, seu evidens, quæ ex conjecturis colligitur, habentibus præsumptionem juris pro se, seu ubi lex statuit, quod conjecturæ habeant vim plenæ probationis;

lesumitur ex c. *Nullus dubitat*. 4, et c. *Lit-teris*. 12. de *Præsumption*. cum similibus; ac tradit ipsemet Mascardus concl. 497, n. 3 et 4. post Baldum in l. *Cives*. C. de *Appellat.*; Decium in cap. 1. in fin. de *Offic. delegat.*, et alios.

14. *Probatio legitima, quæ? Hæc accipitur proprie, et largius.* — Huc pertinet probatio legitima, qualis proprie loquendo dicitur illa, quæ fit testibus, vel instrumentis, et non per juramentum. Glossa in l. *Cum in debito*. §. *Legitimis*. de *Probatione*., quam Glossa Alexander consil. 119, n. 9, vol. II. reputat singularem, ad hoc, quod ubicumque requiritur probatio legitima, non sufficiat semiplena probatio cum juramento. Concordat Glossa in c. *At si clericus*. verb. *Legitima probatio*. de *Judicis*; Andr. Barbatia in repetit. in rubricam de *Fide instrument.* n. 29; card. Tuschus litt. P. concl. 787, n. 1. dicens, quod probatio per testes, vel per instrumenta, aut per confessionem partis, sive per inspectionem ocularem, dicatur vera et legitima probatio. Mascardus concl. 1148, n. 10; Jason in l. *Si quando*. n. 10. C. *Unde vi*, asserens, quod probatio per juramentum nec sit liquida, nec legitima probatio. Alioquin vero, et largius loquendo, quod probatio legitima non solum censeatur ea, quæ fit per testes, aut instrumenta indubitata, sed etiam, quæ fit per famam consentientem, seu consonantem cum alia probatione, aut quibuscumque aliis modis per leges approbatis; patet ex l. *Proprietatis*. c. h. t., juncta Glossa ibid. verb. *Legitimis*.

15. *Probatio semiplena, quæ?* — Probatio semiplena econtra dicitur, per quam aliqua fides rei gestæ fit judici, non vero tanta, ut jure possit moveri ad ferendam sententiam juxta eam. Et hujus semiplenæ probationis quatuor exempla ponit Glossa in l. *Admonendi*. verb. *Exacto jurejurando*. ff. de *Jurejurand.*, videlicet probationem, quæ fit per scripturam privatam, vel per comparationem litterarum, aut per fugam rei, qui debuisset respondere, vel per testem unum. Quibus adde probationem illam, quæ fit per famam, juxta Bartolum in cit. l. *Admonendi*. §. *Videnda sunt*, et Mascardum, quæst. 11. proœmial. de *Probationib.* n. 20, item probationem per confessionem extrajudicialem, et hujusmodi; de quibus alii.

16. *Probatio mixta, quæ?* — Hiscæ addit Pirhing h. t. n. 3. aliud membrum, videlicet probationem mixtam; estque ea, quæ fit

ex duabus semiplenis ad eundem finem tendentibus, juxta Glossam fin. c. *Cum causam*. h. t. et amplius infra § 4, n. 48 et seqq. declarabitur.

17. *Appellatione Probationis simpliciter dictæ, solum venit plena probatio; et cur?* — Solumnota, quod appellatione Probationis simpliciter et absolute dictæ, veniat dumtaxat plena, non autem semiplena probatio: ac proinde, ubi lex, vel statutum facit simpliciter mentionem de probatione, intelligatur de plena, arg. Clem. *Constitutionem*, juncta Glossa verb. *Fides. de Election.* et l. *Lucius*. 82. ff. de *Condition. et demonstrat.* Si quidem vera et propria probatio solum dicitur illa, quæ se sola sufficit ad faciendam fidem, nec indiget alterius adminiculo: qualis est dumtaxat probatio plena. Glossa, loc. cit.; Bartolus in l. *At prætor*. §. fin. ff. de *Re judicat.*; Sperellus, decis. 401. *Fori ecclesiast.* n. 22; Francisc. Niconitius in repetit. c. *Quoniam contra*, n. 133. de *Probatione*; Mascardus quæst. 4. proœmial. n. 12; Barbosa de *Appellativa verborum juris significat.* appellat. 220; Jason in l. *Qui accusare*. n. 7. C. de *Edendo*, istud limitans, quando subjecta materia repugnat.

18. *Probationis species, quot?* — Quæritur III. Quot sint probationum species? Resp. Etsi circa loco non omnino convenient doctores, cum alii duodecim, alii decem, alii sex, alii vero novem assignent; ut videre est apud Mascardum de *Probationib.* cit. quæst. 4; tamen hæc posterior sententia novem admittens, quæ est Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 6. præ cæteris videtur retinenda. Ratio est, quia cæteræ probationum species commode ad novem præcipuas reducuntur, quæ et hisce versiculis breviter continentur:

Aspectus, sculptum, testis, notoria, scriptum.
Jurans, confessus, præsumptio, fama probavit.

19. *Probatio fit per evidentiam rei.* I. Etenim potest aliquid probari per evidentiam rei, quando scilicet res ita palam est, ut nulla tergiversatione vel negatione celari valeat. Et hoc indicant relati versiculi per ly «Notoria:» siquidem «Notorium facti» est, quod habet ita facti, seu rei evidentiam, ut non possit negari (subintellige) probabiliter, cap. ult. de *Cohabitat. c. ric.*, etc. *Cum olim*. 24. de *Verb. signif.*, atque amplius declarat Glossa in can. *Manifesta*. 2, q. 1.

20. *Per confessionem propriam.* — II. Probatio solet fieri per confessionem propriam;

sive, quando quis de se ipso est confessus. Nec obstat, quod confessio proprie non sit probatio, sed probationis relevatio, juxta dicta tit. præc. § 1, n. 13. Resp. enim, dari etiam confessionem extrajudicialem, quæ plene non probat: ac proinde non relevat actorem ab onere probandi. Imo etiam confessio judicialis, si non proprie, saltem largius loquendo potest dici probatio, juxta illud vulgatum: «Propria confessio est optima probatio.»

21. *Per aspectum, seu inspectionem ocularem.* — III. Fit probatio per aspectum, sive per ocularem inspectionem (vulgo ein Augenschein) et accidit, quando judex rem, de qua lis movetur, per se ipsum, aut alias personas ad id deputatas, præsentialiter inspicit. Sic in quæstione de novi operis nuntiatione plerumque requiritur inspectio ocularis, ut appareat, an revera quis priorem faciem operis immutaverit, aut in præjudicio actoris ædificium extruxerit. Similiter, quotiescumque controversia oritur circa limites agrorum, vel terminos jurisdictionis, regulariter ipsi termini sunt inspiciendi, l. *Si irruptione*, ff. *Finium regund.* Insuper petita per vicinum cautione damni infecti, si alter neget, domum suam esse ruinosam, oportet devenire ad ocularem inspectionem, l. *Dies cautionis*. § 1. ff. de *Danno infecto*. Idemque contingit in nonnullis aliis casibus.

22. *Et quæ ad hanc requiruntur.* — Solum breviter nota, quod ad inspectionem ocularem regulariter requiratur utriusque partis præsentia: nisi forsitan judex ex officio clam pro sua dumtaxat informatione ipsam suscipere velit. Insuper ad inspectionem ocularem ducendi sunt testes ab alterutro litigantium producti; eo quod in re præsentii melius se explicare, judicemque informare valeant. Tandem inspectio ocularis debet fieri per artis peritos, v. g. per architectos, agri mensores, et hujusmodi; quibus etiam juramentum deferri debet (nisi forsitan in susceptione sui officii tale juramentum jam deposuerint ac jurati magistri existant) quod ob neutrius partis favorem declinando, sed fideliter, prout in sua conscientia deprehenderint, veritatem edicere velint. Engel h. t. n. 12, post Roland. in tract. de *Commissariis*. lib. III; Sannig h. t. cap. iv, n. 11.

23. *Aliisque modis; et quibus?* — IV. Contingit fieri probationem per testes. V. Per instrumenta, quæ in supra allatis versiculis denotantur per ly «Scriptum.» VI. Per juramentum. VII. Per præsumptionem. Atque

de istis extant in jure canonico proprii tituli, proxime explicandi. VIII. Fit interdum probatio per antiquas scripturas, lapidibus v. g. impressas: idque in memoriali versiculis insinuatur per ly «Scriptum,» de quo commodius agetur infra tit. XXII de *Fide instrumentorum*. § 7, n. 221 et seqq. IX. Tandem species probationis est fama, de qua agetur tit. seqq. § 12, n. 384 et seqq. Atque per hæc patet bonitas datæ conclusionis, admittentis novem species probationum.

24. *Non est opus, admittere duodecim species probationum.* — Nec obstat, quod Speculator tit. de *Probationibus*. § *Videndum*, universim admiserit duodecim species probationis, addendo videlicet probationem factam per litteras signatas sigillo episcopali, per denuntiationem publicarum personarum, et per indicia indubitata. Resp. enim, probationem per litteras signatas sigillo episcopali commode reduci ad speciem probationis per instrumenta: sicut et denuntiatio publicarum personarum pertinet ad speciem probationis per testes; ac indicia indubitata ad speciem probationis per præsumptionem, eo quod ex talibus indiciis indubitatis solet oriri vel præsumptio hominis, vel præsumptio juris: imo quandoque etiam præsumptio juris et de jure inde consurgat.

25. *Gradus probationum sunt quatuor, nempe.* — Quæritur IV. Quot sint gradus probationum? Resp. Quatuor sunt gradus probationum, videlicet dubitatio, suspicio, opinio, et firma credulitas. Ita Abbas in c. *Tertio loco*. n. 11, h. t.; Bartolus in l. *Admonendi*. § *Quæro quando dicatur*. ff. de *Jurejurand.*; card. Tuschus litt. P. concl. 764, n. 3, et Antonius Butrius repetit. in c. *Vestra*. n. 50 et seqq. de *Cohabitat. cleric.* Conclusio hæc declaratur inductione, præmittendo, quod in judice, præter nescientiam alicujus rei, et scientiam hujus habitam per rationes, et demonstrationes, aut si est facti, per proprium sensum, possit dari firma credulitas, seu fides talis rei, quæ est media inter illa extrema. Atqui ad hanc firmam credulitatem, seu fidem, dantur dicti quatuor gradus; quamvis etiam inter istos possint distingui varii modi, juxta majorem videlicet, vel minorem rationem suspicandi, opinandi, et credendi: idque declaratur taliter.

26. *I. Dubietas; quæ tamen proprie non est gradus probationis.* — Primus gradus est, cum judici proponitur causa per actorem affirmantem, quæ per reum econtra negatur:

tunc enim iudex inducitur in dubietatem. Quamquam ultro sit fatendum, quod isthæc dubietas proprie non sit aliquis gradus probationis, nisi quatenus iudex exinde inducitur ad investigandum.

27. II. *Suspicio*. — Secundus gradus est: quia post dubitationem, et investigationem veritatis, solet iudex incipere suspicari, et applicare animum magis ad unam, quam ad alteram partem. Et quando hoc fit ex levi aliquo indicio, seu argumento non excludente prorsus dubitationem, dicitur *Suspicio*: quæ quidem non sufficit ad condemnandum (nam ex suspicionibus non debet aliquis condemnari, l. *Absentem*. ff. de *Pænis*.), facit tamen proprie gradum aliquem probationis.

28. III. *Opinio*. IV. *Credulitas*. — Tertius gradus est, quia post memoratam suspicionem, si alicubi appareant fortiora argumenta, tunc iudex incipit opinari. Jam enim applicat animum ad unam partem, licet non sine formidine de opposito; et sic ex parte ejus oritur opinio. Ac proprie loquendo, iste est alter gradus probationis, et habet ibi locum suppletio per juramentum, cap. ult. de *Jurejurand.* et l. *Admonendi*, ff. eod. Quartus tandem gradus est, quando ex deductis in iudicium animus iudicis in tantum informatur, quod firmam credulitatem seu fidem habeat ejus, de quo quaeritur: atque istud habetur per plenas probationes.

29. *Hi probationum gradus probantur ex jure*. — Accedit textus in l. I. § 1. ff. de *Questionib.*, ubi posteriores tres gradus probationum (primus enim, seu dubitatio, non est proprie talis gradus, ut jam dictum) sequentibus verbis designantur: «Ad tormenta servorum ita demum deveniri oportet, cum suspectus est reus, et aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio deesse videatur.» Nam ly «Suspectus est reus,» denotat primum gradum probationis, qui est suspicio: ly «aliis argumentis,» indicat secundum, qui est opinio. et ly «sola confessio,» tertium probationis gradum, qui facit plenam fidem; nam habita propria confessione, seu plena probatione, adducitur iudex ad firmam credulitatem.

30. *Credulitas, in quo conveniat, et differat a scientia?* — Atque talis credulitas istud nabet commune cum scientia, quod sicut firmiter quis uni parti adhæret per scientiam; ita etiam adhæreat eidem per hanc credulitatem. Differunt tamen in modo perveniendi ad istam firmam adhæsiorem: nam sciens

ad istam perducitur vel ob rationes demonstrativas a priori, vel quando scitum est quid facti, quod cognoscitur per proprium sensum: credens autem ad ejusmodi firmam adhæsiorem adducitur per alia argumenta. Bartolus ubi supra.

§ II.

QUID SIT PROBANDUM? UBI ET DE PROBATIONE NEGATIVA.

31. *Id est probandum, quod est deductum in iudicium.* — Quaeritur I. Quid generatim sit probandum? Resp. I. Generatim loquendo id est probandum, quod est deductum in iudicium, et ab altera parte fuit negatum. Ita Speculator tit. de *Probationibus*. § *Nunc dicendum*. n. 1; Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 4; Mascardus de *Probatione*. quæst. 2, proœmial. n. 27, ac quæst. 17, n. 16, id intelligens de omni eo, super quo lis mota est, sive directe, sive indirecte, seu per modum exceptionis, aut applicationis: et alii. Idque patet ex c. de *Testibus*. 29. de *Testib.* et l. *Ad probationem domini*, c. h. t. Cum similibus. Accedit ratio, quia, ut dicitur in ejus definitione, probatio est ostensio rei dubiæ per legitimos modos iudici faciendâ in causis apud ipsum controversis; ergo non debet illud ad probandum assumi, quod est impertinens, ac extra causam propositam; sed ea demtaxat oportet probare, quæ sunt in iudicium deducta, et ad causam pertinent, et in quibus se aliquis fundat, ab adversario tamen negantur. Per negationem enim res fit dubia, l. III, juncta Glossa § *Dubium*. c. *Quibus ad libertatem*, etc.

32. *Si per testes probatur aliud, quam est deductum in iudicium, non valet eorum dictum.* — Infertur proinde, quod si per testes v. g. probetur aliud, quam est deductum in iudicium, non valet dictum eorum super illo, l. I, § *Divus Antoninus*. ff. de *Questionib.* junctis iuribus proxime allegatis; Speculator tit. de *Teste*. § 1 n. 62, et Mascardus d. quæst. 17, n. 17, istud exemplificantes de teste, qui productus fuit super possessorem: talis enim non est interrogandus super proprietate: et si secus fiat, nihil proderit ejus dictum, saltem parte opponente; videtur enim non juratus deponere. Idemque dicendum de similibus probationibus articulorum in iudicium non deductorum: nam subreptitia probatio improbat a lege, ut l. *Sed si hac lege*. § *Præ-*

tor ait. ff. de *in jus vocando*, et amplius probat Speculator cit. tit. de *Teste*. § 1. num. 64.

33. *Illud dumtaxat est probandum, quod probatum prodest probanti.* — Resp. II. Insuper illud dumtaxat est probandum, quod probatum prodesse potest probanti. Ita Glossa in c. *Cum contingat*. § *Nihilominus*; et Joan. Andreas ibid. n. 19. de *Offic. delegat.*; Speculator tit. de *Probatione*. § *Nunc dicendum* n. 1; Mascardus de *Probatione*. quæst. 17. proœmial. n. 24, ac seqq.; et communis. Unde non debet ad probandum admitti, quod est extra rem propositam, seu omnino impertinens ac inutile, cit. l. *Ad probationem domini*, c. h. t. et c. *Cum contingat*. 36. de *Offic. delegat.*

34. *Articuli alii necessitate concludunt, alii præsumptivè; et tamen probatio est admittenda.* — Solum nota cum Bartolo il. *Neque natales*. c. h. t., quod articuli ad probandum assumpti, aliqui de necessitate concludant intentum actoris, alii solum præsumptivè; et hoc adhuc dupliciter: quia quandoque inducitur talis præsumptio, ut onus probandi transferatur in adversarium, l. *Matrem tuam*. et l. *Si possidetis*. c. eod. aliquando autem inducitur talis præsumptio, quæ facit semiplenam probationem: et omnium talium articulorum probatio est admittenda. Quod si vero articulus probatus nullum horum facit, nec aliam probationem coadjuvat, tunc is non debet admitti ad probandum.

35. *Quod non est verisimile, an possit admitti ad probandum?* — Resp. III. Rursus ad probandum debet assumi, quod est verisimile, et licet quis possit admitti ad probandum id, quod non est verisimile, nihilominus tunc requiritur efficacior probatio. Ita Mascardus de *Probatione*. cit. quæst. 17, n. 24, contra Speculatorem tit. de *Probatione*. § *Nunc dicendum*, n. 1, ubi contra secundam partem conclusionis inquit, illud debere probari, quod est verisimile, et non aliud. Conclusio quoad utramque partem desumitur ex c. *Quia verisimile*. 10. de *Præsumptione*, ubi proinde summarium ex Joan. Andrea, Abbate, et aliis desumptum, sic habet: «Efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non est verisimile.» Et merito, quia præsumptio stat contra ipsum.

36. *Probatio circa quæ versetur?* — Quaeritur II. Circa quæ versetur probatio, et an hac indigeant manifesta? Resp. I. Probatio versatur circa facta, et quidem incerta seu dubia. Ita communis, et ratio est, quia quæ

juris sunt, jam aliunde iudici, utpote legum notitiam habenti, nota existunt, sicque probatione non indigent. Quamquam per hoc non negetur, quin in *Questionibus juris*, præsertim inter doctores controversis, utiliter fiant allegationes iurium; non quidem ad probandum, sed ad melius informandum iudicem, juxta dicta superius § 1, n. 6 et 7.

37. *Manifesta, seu notoria non indigent probatione. Allegatio notorii est probatio probata.* — Resp. II. Manifesta, seu notoria, ulteriori probatione non indigent. Ita communis; et habetur expressum c. *Super eo*. 3. de *Testib. cogend.* illis verbis: «Si factum est notorium, non eget testimonio depositionibus declarari; cum talia probationem, vel ordinem iudicium non requirant.» Concordant textus in can. *Manifesta*. 2. q. 1, et c. *Evidentia*. 9. de *Accusatione*, cum similibus. Unde notorium non probari, sed allegari debet. Glossa in cap. 1, § *Appellavit*, juncta Glossa marginali ibid.: «Ut lite non contestata,» etc. Nam allegatio notorii probatio probata est. Vallensis h. t. § 1, num. 3; Mascardus de *Probatione*. concl. 1107, num. 1. Atque ubi est notorium, non est disputare, sed disputatum esse, ut inquit Baldus in l. c., *Quomodo et quando*, etc.

38. *Istud procedit in notorio facti permanentis; secus in notorio facti transeuntis.* — Istud tamen præcipue intelligendum est de notorio facti permanentis: nam satis est, hoc allegari, nec indiget alia probatione. Glossa in l. *Cives*. § *Si sub iusta*. c. de *Appellat.* et alia Glossa in Clem. *Appellanti*. § *Alias causas*, eod. Secus dicendum de notorio facti transeuntis: nam quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt talia, c. *Consuluit nos*. 14. de *Appellat.*, et ea, quæ sunt notoria facti transeuntis, forsitan non sunt notoria ipsi iudici: hinc notorium facti transeuntis non tantum debet allegari, sed etiam probari. Glossa c. *Ad nostram*. il. 3. § *Observandus est*. § *Requirit. de Jurejurand.*; Sperellus, decis. 132 *Fori ecclesiast.* n. 76 et 77; Mascardus de *Probatione*. concl. 1107, n. 11 et seqq.; Sigism. Scaccia lib. I de *Judiciis*, cap. LXXVI, n. 9 et 10, et alii. Quinimo notorium facti transeuntis est probandum juris ordine servato; secus dicendum in notorio facti permanentis; utpote quod non servato juris ordine, sed per ocularem inspectionem probari potest, quando iudici necdum existit notorium. Gratianus *Disceptat. forens.* tom. II. disc. 312, n. 8.